Nec defectio superat nec disperatio dolet poenitentia. Perspicit auaritia, horret luxoria, fugit furore, firmat amare, calcat superbia, lingua continet, conponet mores, odit malitia, excludit inuidia. Perfecta paenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre, feruolenter querit quae habet, non uetat in corde eius contrito est. In ore confessio, in opere tota humilitas. O paenitentia misericordiae mater et magistra uirtutum, per te nobis dominus Iesus regnum caelorum promisit dicens: Paenitentiam agite, adpropinquauit enim regnum caelorum. Ut possimus peruenire ad gloria illa quam repromisit deus diligentibus se.

## De perseuerantibus

Tunc enim placet deo nostra confessio quando bonum quod inchoamus perseueranti fine complemus. Bonum aliquid non caepisse sed perfecisse uirtus est. Non incohantibus praemium promittitur, sed perseuerantibus datur. Semper in uita hominis finis quaerendus est, quia deus noster non respicit quales nos ante fuimus, sed quales circa fine uitae erimus.

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_556/0098

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991